

1691. Si mors immineat et periculum sit in mora, omissis precibus praedictis statim Viaticum infirmo praebeatur.

1692. Infirmo communicato, Sacerdos reponit et claudit Pyxidem super Corporale, abluit digitos nihil dicens, et infirmo datur ablutio; tum dicit:

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus, te fideliter deprecamur, ut accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus Domini Nostri Iesu Christi Filii tui, tam corpori quam animae prosit ad remedium sempiternum: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

R). *Amen.*

1693. Et reassumpto Velo humerali, genuflectit, accipit utraque manu ut antea Pyxidem, facit cum ea e loco suo signum Crucis super infirmum, nihil dicens, et reverenter SS. Sacramentum deferens, ordine quo venerat, revertitur ad Ecclesiam dicendo Psalmum *Laudate Dominum de coelis* etc., quem caeteri alternatim prosequuntur; imo et alios Psalmos et Hymnos, prout tempus feret.

1694. Cum pervenerit ad Ecclesiam, ponit SS. Sacramentum super Altare supposito Corporali, genuflectit et dicit: *Panem de coelo, Dominus vobiscum* etc., cum Oratione: *Deus, qui nobis sub Sacramento* etc. cum longiori conclusione. Deinde annuntiat Indulgentias a Summis Pontificibus concessas SS. Sacramentum

comitantibus ¹. Postea cum SS. Sacramento in Pyxide Velo cooperta faciat signum Crucis super praesentes, nihil dicens; deinde reponat illud in Tabernaculo.

§ II. — *De ritu administrandi
Extremam-Uncionem.*

1695. Extremae-Uncionis Sacramentum periculose aegrotantibus tantum administrandum est, et quidem semel in eadem infirmitate, nisi infirmus convalescit, et iterum in periculum mortis inciderit.

1696. Debet autem hoc Sacramentum infirmis praebere, qui cum ad usum rationis pervenerint, tam graviter laborant, ut mortis periculum imminere videatur; et iis, qui prae senio deficiunt, et in diem videntur morituri etiam sine alia infirmitate.

1697. Administranda est Extrema-Uncio, si fieri possit, eo tempore, cum infirmis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiores Sacramenti gratiam percipiendam, ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo.

1698. Praebeat etiam infirmis, qui sensibus sunt destituti, qui phrenesi aut amentia laborant, dummodo non sit periculum, ut quidquam fieri possit contra reverentiam Sacramenti.

¹ Septem annorum et totidem quadragenarum iis, qui cum lumine, et quinque annorum et totidem quadragenarum iis, qui sine lumine devote comitati sunt, modo orent ad consuetos fines sanctae Ecclesiae. Praedicta Indulgentiarum annuntiatio, si iam sufficienter notae sunt, non singulis vicibus est repetenda.

1699. Si tempus et infirmi conditio permittant, ante Extremam-Uncionem, Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta infirmo praebeantur.

1700. Si quis laboret in extremis, et periculum immineat ne decedat, antequam finiantur Uctiones, cito ungetur, incipiendo ab eo loco: *Per istam sanctam Uctionem* etc. ut infra; deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae suo loco positae.

1701. Quod si dubitet Sacerdos, an ungetur, vivat adhuc, Uctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam, dicens: *Si vivis, per istam sanctam Uctionem* etc. Si vero dum ungetur, infirmus decedat, Sacerdos ultra non procedat, et praedictas Orationes omittat.

1702. Unguntur s. Oleo oculi, aures, nares, os et manus; pedes etiam et renes ungenti sunt; sed renum unctio omittitur, quando infirmus commode moveri non potest.

1703. Manus vero, quae reliquis infirmis interius ungi debent, Sacerdotibus exterius ungantur.

1704. Si quis autem sit aliquo membro mutilatus, pars loco illi proxima inungatur, eadem verborum forma.

1705. Dum oculos, aures, et alia corporis membra, quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat, ne alterum ipsorum inungendo Sacramenti formam prius absolvat, quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit.

1706. Cum ergo alicui nostro Confratri sit administranda Extrema-Uinctio, aegri cubiculum mundetur et exornetur, ut num. 1683 dictum est.

1707. Mensa mappa candida sit cooperta, in ea parata sint vas, in quo sit bombacium in septem glo-

bulos distinctum, ad abstergendas partes inunctas, medulla panis ad detergendos digitos, aqua ad ablendas Sacerdotis manus; item cerea candela, quae deinde accensa ipsi Ungenti lumen praebeat.

1708. Omnibus ad administrationem s. Uctionis necessariis praeparatis, Superior sine superpelliceo et Stola praecedentibus Clerico cum Cruce sine hasta, Fratris sine luminaribus, s. Oleum ad cubiculum infirmi defert sacculo serico violacei coloris inclusum, illudque caute deferat, ne effundi possit.

1709. Dum ad locum procedunt, Fratres alternatim, ipso Superiore intonante, recitant Ps. *Miserere*.

1710. Cum perventum fuerit ad locum, ubi iacet infirmus, Sacerdos intrans cubiculum, dicit: *Pax huic domui: R). Et omnibus habitantibus in ea.*

1711. Deinde deposito s. Oleo super mensam, superpelliceo, Stolaque violacea indutus, aegroto Crucem pie deosculandam porrigit; mox in modum Crucis eum aqua benedicta, et cubiculum, et circumstantes aspergit, dicens: *Asperges me, Domine* etc. cum Vers. et Oratione, ut supra num. 1688.

1712. Deinde piis verbis illum consoletur, et de huius Sacramenti vi atque efficacia, si tempus ferat, breviter admoneat; et quantum opus sit, eius animam confirmet, et in spem erigat vitae aeternae.

1713. Postea dicit:

Ÿ. *Adiutorium nostrum in nomine Domini:*

R). *Qui fecit coelum et terram.*

Ÿ. *Dominus vobiscum:*

R). *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Introeat, Domine Iesu Christe, domum hanc sub nostrae humilitatis ingressu, aeterna felicitas, divina prosperitas, serena laetitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus daemonum: adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica, Domine, super nos nomen sanctum tuum; et benedic ✠ nostrae conversationi: sanctifica nostrae humilitatis ingressum, qui sanctus et pius es, et permanes cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Oremus, et deprecemur Dominum nostrum Iesum Christum, ut benedicendo benedicat ✠ hoc tabernaculum, et omnes habitantes in eo; et det eis Angelum bonum custodem, et faciat eos sibi servire ad considerandum mirabilia de lege sua: avertat ab eis omnes contrarias potestates: eripiat eos ab omni formidine, et ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, aeternae Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de coelis, qui custodiat, foveat, protegat, visitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

1714. Si tempus non patiat, praecedentes Orationes ex parte vel in totum poterunt omitti.

1715. Tunc de more facta Confessione generali, Sacerdos dicat: *Misereatur vestri etc. Indulgentiam etc.*

1716. Antequam Sacerdos incipiat ungere infirmum, moneat adstantes Fratres, ut pro illo orent, et ubi commodum fuerit, recitent septem Psalmos Poenitentiales cum Litanis, vel alias preces, dum ipse Unctionis Sacramentum administrat. Mox dicat:

In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ sancti, extinguatur in te omnis virtus diaboli per impositionem manuum nostrarum, et per invocationem omnium sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

1717. Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis ungit infirmum in partibus hic subscriptis, aptando proprio loco verba formae; et post quamlibet Unctionem tergat loca inuncta novo globulo bombacii, eumque in vase mundo reponat, et ad Ecclesiam postea deferri faciat, ut comburantur et cineres proiciantur in Sacrarium. Unctio fit sequenti modo:

AD OCULOS.

Per istam sanctam Unctionem ✠, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti. Amen.

AD AURES.

Per istam sanctam Unctionem ✠, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per auditum deliquisti. Amen.

AD NARES.

Per istam sanctam Unctionem ☩, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per odoratum deliquisti. Amen.

AD OS, compressis labiis.

Per istam sanctam Unctionem ☩, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gustum et locutionem deliquisti. Amen.

AD MANUS.

Per istam sanctam Unctionem ☩, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per tactum deliquisti. Amen.

AD PEDES.

Per istam sanctam Unctionem ☩, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per gressum deliquisti. Amen.

AD LUMBOS sive RENES.

Per istam sanctam Unctionem ☩, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

1718. Quibus omnibus peractis, Sacerdos dicit:

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

☩. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℞. *Sed libera nos a malo.*

☩. *Salvum fac servum tuum:*

℞. *Deus meus, sperantem in te.*

☩. *Mitte ei, Domine, auxilium de Sancto:*

℞. *Et de Sion tuere eum.*

☩. *Esto ei, Domine, turris fortitudinis:*

℞. *A facie inimici.*

☩. *Nihil proficiat inimicus in eo:*

℞. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

☩. *Domine, exaudi orationem meam:*

℞. *Et clamor meus ad te veniat.*

☩. *Dominus vobiscum:*

℞. *Et cum spiritu tuo.*

OREMUS.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum locutus es: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum Oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei; cura, quaesumus, Redemptor noster, gratia sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, et dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis et corporis ab eo expelle, plenamque interius et exterius sanitatem misericorditer redde, ut ope misericordiae tuae restitutus, ad pristina reparetur officia. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.*

OREMUS.

Respice, quaesumus Domine, famulum tuum N. in infirmitate sui corporis fatiscentem, et animam refove,

quam creasti: ut castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina salvatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

OREMUS.

Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui benedictionis tuae gratiam aegris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis: ad invocationem tui Nominis benignus assiste, ut famulum tuum ab aegritudine liberatum, et sanitate donatum, dextera tua erigas, virtute confirmes, potestate tuearis, atque Ecclesiae tuae sanctae, cum omni desiderata prosperitate, restituas. Per Christum Dominum nostrum.

R). Amen.

1719. Ad extremum, pro personae qualitate, salutaria monita breviter praebere poterit, quibus infirmus ad resignationem, imo ad moriendum in Domino confirmetur, et ad fugandas daemonum tentationes roboretur.

1720. Post haec aspergit eum aqua benedicta, eique dat benedictionem S. P. N. Francisci dicens:

Benedicat tibi Deus, et custodiat te: ostendat faciem suam tibi et misereatur tui, convertat vultum suum ad te et det tibi pacem: Dominus benedicat te ☩, et liberet te ab omnibus malis. Amen.

1721. Omnibus finitis, Superior superpelliceum et Stolum deponit, et omnes quo venerunt ordine ad Chorum revertuntur, dicentes Ps. Laudate Dominum de coelis, et s. Oleum in suo loco reponitur.

§ III. — De ritu benedictionis Apostolicae in articulo mortis impertiendae.

1722. Sacerdos facultatem habens a S. Sede Apostolica delegatam, superpelliceo et Stola violacea indutus, ingrediens locum, ubi iacet infirmus, dicit:

Pax huic domui:

R). Et omnibus habitantibus in ea.

Deinde aspergit infirmum et cubiculum dicens:

Antiph. Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealabor.

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri. Sicut erat.

Repetitur Antiphona Asperges me.

1723. Conversus nunc ad infirmum, dicit:

Ÿ. Adiutorium nostrum in nomine Domini:

R). Qui fecit coelum et terram.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui: neque vindictam sumas de peccatis eius.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster, secreto.

Ÿ. Et ne nos inducas in tentationem:

R). Sed libera nos a malo.

Ÿ. Salvum fac servum tuum:

R). Deus meus, sperantem in te.

Ÿ. Domine, exaudi orationem meam:

R). Et clamor meus ad te veniat.

Ÿ. Dominus vobiscum:

R). Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Clementissime Deus, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque sperantem: secundum multitudinem miserationum tuarum respice propitius famulum tuum N., quem tibi vera fides, et spes christiana commendant. Visita eum in salutari tuo, et per Unigeniti tui passionem et mortem, omnium ei delictorum suorum remissionem, et veniam clementer indulge: ut eius anima in hora exitus sui te iudicem propitiatum inveniatur, et in sanguine eiusdem Filii tui ab omni macula abluta, transire ad vitam mereatur perpetuam. Per eundem Christum Dominum nostrum. R). Amen.

1724. Tunc dicto ab uno e Clericis adstantibus *Confiteor*, Sacerdos dicat *Misereatur* etc., ac deinde:

Dominus noster Iesus Christus, Filius Dei vivi, qui beato Petro Apostolo suo dedit potestatem ligandi atque solvendi, per suam piissimam misericordiam recipiat confessionem tuam, et restituat tibi stolam primam, quam in Baptismate recepisti: et ego facultate mihi ab Apostolica Sede tributa, indulgentiam plenariam, et remissionem peccatorum tibi concedo. In nomine Patris ☩, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Per sacrosancta humanae reparationis mysteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes praesentis et futurae vitae poenas, paradisi portas aperiat, et ad gaudia sempiterna perducatur. Amen.

Benedicat te omnipotens Deus, Pater ☩, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

1725. Si vero infirmus sit adeo morti proximus, ut neque Confessionis generalis faciendae, neque praemis-sarum precum recitandarum tempus suppetat, statim Sacerdos benedictionem ei impertiatur, dicens: *Dominus noster*, etc. ut supra.

1726. Et si mors urgeat, dicat:

Indulgentiam plenariam et remissionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

1727. Haec formula (ex Brevi Apostolico *Quo universi* Leonis Papae XIII sub die 7 Iulii 1882) retineri debet quoad omnes, etiam Regulares, Tertiarios etc., addito tantum ab istis ad *Confiteor* nomine sancti proprii Fundatoris.

§ IV. — De commendatione animae.

1728. Sacerdos Fratri agonizanti superpelliceo et Stola violacea indutus assistat, eundemque non derelinquat, donec animam exspiraverit.

1729. Ad primum ingressum dicit *Pax huic domui* etc., ac infirmum et cubiculum aspergit ut sub n. 1688 dictum est.

1730. Tunc Fratri moribundo Crucifixum ad osculandum porrigit, placidis verbis eum ad confidentiam in Deum exhortatur, ac Crucifixum ita ante ipsum collocat, ut eum videre ac osculari possit. Accenditur candela benedicta, ac deinde omnibus et ipso Sacerdote genuflexis, dicuntur Litaniae breves ut in Breviario vel Rituali Romano.

1731. Deinde cum in agonia sui exitus anima anxiatur, dicatur: *Proficiscere anima christiana* etc. ut ibi. Interim Sacerdos infirmum aqua benedicta aliquoties aspergit, illique Crucifixum ad deosculandum porrigit.

1732. Si anxiatur adhuc anima, dicuntur Psalmi 117 et 118 per Horas distributi, et leguntur caput 17 S. Ioannis ac Passio secundum eundem Ioannem; ita tamen, ut hinc inde in lectione et oratione pausetur, interpositis piis precibus iaculatoriis.

1733. Egressa autem anima, dicitur R). *Subvenite Sancti Dei* etc., ut in eodem Breviario aut Rituali Romano.

CAPUT VI.

DE DEPOSITIONE CONFRATRIS NOSTRI

SEU DE EXEQUIIS ¹.

1734. Constituto tempore, quo corpus ad Ecclesiam deferendum est, convenient Fratres ad locum, ubi funus iacet, ac datis certis campanae signis, Superior indutus superpelliceo et Stola nigra, vel etiam Pluviali eiusdem coloris, Clerico praeferente Crucem et alio aquam benedictam, ad funus accedit: Fratribus distribuuntur cerei et accendantur. Superior antequam efferatur cadaver illud aspergit, nihil dicens, et mox incipit Antiphonam *Si iniquitates*, et alternatim dicitur Ps. *De profundis*, cuius in fine: *Requiem aeternam dona ei, Do-*

¹ Ex Rituali Romano.

mine, et lux perpetua luceat ei; repetit Antiphonam totam *Si iniquitates* etc. Deinde cadaver effertur.

1735. Dum corpus defuncti processionaliter, praecedente Cruce, a Fratribus in Ecclesiam defertur, Sacerdos gravi voce intonat Antiphonam *Exultabunt Domino*, et Fratres inchoant Psalmum *Miserere*, quem alternatim cum debitis pausis prosequuntur, ita ut illi, qui incedunt a parte dextera, dicant primum versum, et qui a sinistra secundum; interimque campana pulsatur, donec funus in Ecclesia fuerit depositum.

1736. Ad ingressum Ecclesiae repetitur a Sacerdote Antiphona: *Exultabunt Domino ossa humiliata*. Deinde Ecclesiam ingressi, praecinente Cantore aut Superiore, alternatim cantant sequens Responsorium.

Subvenite, Sancti Dei: Occurrite, Angeli Domini, suscipientes animam eius*, offerentes eam in conspectu Altissimi.*

Ÿ. *Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahae Angeli deducant te.*

R). *Susipientes animam eius*, offerentes eam in conspectu Altissimi.*

Ÿ. *Requiem aeternam dona ei, Domine.*

R). *Et lux perpetua luceat ei.*

Offerentes eam in conspectu Altissimi.

1737. Deposito feretro in medio Ecclesiae, ita ut defuncti pedes, si fuerit Laicus aut Clericus, sint versus Altare maius, si vero fuerit Sacerdos, caput sit versus ipsum Altare; et cereis accensis circa corpus, statim, nisi quid impediatur, dicitur Officium Defunctorum, cum tribus Nocturnis et Laudibus; duobus Clericis incipientibus absolute Invitatorium: *Regem, cui omnia vivunt,*